Georg [illegible] Kloß, M.D.
Francofurti ad Moenum.

¶ De Sancto Iudoco Hymnus per Theo-
doricum Vlſenium Poetam et Medicum Du
cum Magnopolenſium phiſicum editus.·.

312420

ARMY MEDICAL LIBRARY
WASHINGTON, D.C., U.S.A.

De Theodorici Ulſenij Ceſarei Archyatri Iudoci de. P. bonom⁹ ep̄us tergeſtin⁹ ad lcōrē

Perlege qui chriſtum domini ſedeſq; beatas
Cernere poſt miſeri carceris acta cupis
Deſcriptus modico Iudocus carmine monſtrat
Qua pateat clari regia celſa poli
Cuius honorate ſeruans veſtigia plante
Tutus in etherea conſtituere domo
Hec tibi perpetue lector dat munera vite
Ulſenius docti gloria rara chori
Ulſenius medice tutor reparator ⁊ artis
Que celebrant dulces ex helycone dee

C. C. Celtis poete laureati de eadem

Tribus poetis phriſia nobilis
Claret: Rodolphus primus agricola
Qui greca miſcebat latinis
Et cithara cecinit canora
Rheni per vrbes atq; per italas
Notuſq; gallis atq; britannicis
Et qua tumeſcit fluctuoſus
Danubius bibulis harenis
Adulphus alter qui medicus fuit
Clarus per oram noſtram alemanicam
Doctus pelaſgis diſciplinis
Et latijs pariter camenis
Ulſenius ſed carmine maximus
In tercio nunc ordine fulgidus
Morbos fugat blanduſq; triſtes

Carminibus releuare mentes
Qui varijs mundum experientijs
Artem medendi dans peragrauerat
Et Maximilianum ſecutus
Iudice numine vel Iodoci

H. Emſer

Si quantum phriſius Iudocum vlſenius ornat
Iudocus phriſio reddat et Vlſenio
Vlſenius claro poſt funera nomine viuet
Et nullis cedet vatibus vlſenius

Theo. greſemundi

Ethera Iudoci manes meruere: ſed illum
Extulit Vlſenius clara ſuper ethera phama
Et ciuem celi celeſti carmine dixit.
At tu diue tui ſi qua eſt tibi cura poete
Si ſanctus vatum non eſt labor irritus: illi
Ethera pro fama celum pro carmine reddes

Barto. colonienſis

Magnorum regū: quum languida corpora curas
Vlſeni: morbos nobiliumqꝫ ducum
Tunc mihi ſpectaris phoebi generoſa propago
Priſcam que vitam reddidit hippolyto
Sed quum ſtelliferi celebras tria numina celi
Et reliquos diuos mellifluis modulis
Tunc mihi muſaꝝ princeps et apollo videris:
Qui canit aurata: carmina ſacra lyra
Iudicat hoc preſens hymnus mihi crede Iodoci
Inclyta ſiderei: quo canis acta viri

Ser. agrippinus

¶ Non hic durateus graiorum machina lector
Deſcribetur equus noxia dona phrygi
Nec parat Idalio Venus ardens ludere campo
Spicula non torquet aurea dirus Amor
Sed Judocus apex et princeps relligionis
Regia progenies chriſtigenumqꝫ decus
Pauper et inſueti peregrinus cultor heremi
Ulſenijs modulis emodulandus erit
Ulſenijs inquam varios cui pellere morbos
Contigit: ⁊ tanto pangere lingua viro
Hic poterint animi medicamina cuncta videre
Quos tenet ethereo cura placere Joui

¶ Judocis ulſenij

Regie ſtirpis ſoboles britanna
Ecce Judocus rutulat per orbem
Ut micat ſidus nitidum petit quod
Sepe viator
¶ Nocte per montes tenebroſus altos
Dum fugit nigre rapidum paludis
Flumen ⁊ multa precibuſqꝫ poſcit
Lumina voce
¶ Magna ſpes menti dubijſqꝫ rebus
Et ſalus votis animoqꝫ preſſo
Siderum ſedes meritoqꝫ terras
Nomine complet
Hunc poteſt nullum retinere munus
Aureum quicquid petitur miſellis
Purpuram tempſit tereteſqꝫ gemmas
Murice tinctam
Aula ſed chari genitoris ampla

Laude neglecta labor eſt inanis
Spernitur ſancto violenta magni
Gloria regni
¶ Quin ſacris mundum pedibus recalcat
Quereris grandi ſtudio ſed illi
O pater ſolus ſuperum petitus
Pectore fido
¶ Ergo iam cedens domibus paternis
Abditur terris penitus remotis
Deſerens edes laribus penates
Linquit auitos
¶ Fratribus charis tredecim relictis
Sexq; germanas refugit ſorores
Sat putat mentem peregre deo ſat
Eſſe dicatam
¶ Non vt occurrant lachrimante vultu
Ut nec auertant gemitu frequenti
Mente quo lumen teneat quod illo
Corde recepit
¶ Patrie neu res ideonia conſors
Appetat neue excutiant precatur
Celico niſu ſuperoſq; liber ¶ Numina cernat
¶ Nam videt tetri populis per vrbes
Criminis curam potius boni quam
Luminis veri fugit huic dei quo
Munera tractet
¶ Cetus humanis odioſus illi
Sordibus vulgi queat inquinari
Belluas ſiluas fera queq; ſedem

Collocat inter

¶ Tanta virtutis pia cura ſacre
Tam nihil ſancti metuunt pauentes
Urbs ſolet falſo laniare diue
Fata mineruę

¶ Quis poteſt paruo cumulare verſu
Equa: nec quiſquam ceciniſſe tentet
Magna virtutum meruit caterua
Munia laudum

¶ Non viri poſſes recitare geſta
Feruidum munus deitatis alme
Nate pelignis daret et poetas
Mantua binos

¶ Seu minas vincat fera beſtiarum
Corda placando gremio volucres
Siue gauiſos manibus videres
Ludere piſces

¶ Corruens vncis aquile rapacis
Temporis menſor cito liberatur
Lucis vt preco moritur repente
Sanguinis ales

¶ Robur inuictum fidei ſacrate
Mira maieſtas: pater at malorum
Inuidus ſemper meditatur atro
Tegmine contra

¶ Nam virum ſerpens placidum momordit
Tedium ſilue mouet vlcus amplum
Hoſtis hoc chriſti ferus ordinarat
Demon iniquus
Sed gemens tandem ſuperat maligni
Vulneris plagas meliore vultu

Flaminis limphas rigidoq̃ ſaxo
Excutit vnguen'
¶ Largior panes miſeris egenis
Vltimos chriſto quater erogabat
Sponte tot vecte redimit grauate
Fruge carine
¶ Nullus his ductor mihi crede nemo
Vexerat cimbas fluuio Sed egit
Omnibus preſto bona retributrix
Gratia chriſti
¶ Scilicet iuſto fore pneuma ſacrum
Pectori monſtrans latebris beatis
Stare virtutis animoq̃ ſancto
Ferre receſſus
¶ Aſt vbi duros diuturna victus
Vita per mores rigidos ſubegit
Mente conſtanti numeroſus annis
Nocte dieq̃
¶ Occidit quicquid petit omnis etas
Artubus ſolui bene feſſus optat
Eſſe cum chriſto fruiturus equo
Poſtulat euo
Viribus tandem vigilando fractis
Et fame totum tenuando corpus
Conficit carnem ſenio ſolutam
Spiritus altus
Rite ſanctorum precioſa mors eſt
Sed deo viſum meritis rependi
Premium dignis ſuper alta numen
Aſtrar ecepit

¶ Aſtra congaudent locus et ſupernus
Angeli ſancti comitantur almum
Archi Judocum ſimul angelorum
Contio tota

¶ Flagrat en coram ſeraphin propinquis
Hunc amor ſciuit cherubin tronisqꝫ
Quid velit cernens deus vnus omni
Tempore trinus

¶ Gaudet et leto chorus hunc paratus
Excipit toto reſonante celo
Quicquid et ſanctū meruit vocari
Pſallit vbiqꝫ

¶ Quin et exultat recolenda tellus
Munere eternum venerata victu
Conferens pleno benegrata voto
Copia cornu

¶ Et polus ſenſit nouus inſtat annus
Cardinis limen reuocante phebo
Siderum curſus elementa luſtrans
Lumine celos

¶ Poſt velut clauſum nebuloſa fulmen
Nubibus denſis ſua clauſtra murmur
Excitat mortalia ceca nondum
Pectora terrens

¶ Aſt vbi flammis oculi petuntur
Horridus curuas fragor vrget aures
Jungimus palmas ſuperum vocamus
Tum pia vota

¶ Non ſecus triſtes fugiens olentis
Corporis nexus ſuperat velut mens

Emicat celo populos ruit ſic
Fama per omnes
¶ Actibus miris animi paueſcunt
Et diem feſtum ſtatuunt quotannis
Frigidas ſpus regat vt Jodocus
Luce decembri
¶ Flectitur diuis capricornus algens
Credimus ſolem nituiſſe Joſue
Latius brume glaciem liquari.
Scimus eodem
¶ Maximis ergo celebremus aras
Munerum donis cumulata proſunt
Hinc opem luctus Sed opem repoſcat
Omnis egeſtas
¶ Sint tibi ſumme pater ergo grates
Unico nato metiens abiſſum
Qui cherub calcas ſimul increato
Flamine nexus
¶ Tanta dum noſtris tribuiſſe votis
Cerneris non vltro etiam precanti
Preuenis terre voluiſſe tantum
Ferre patronum
¶ Tuq; qui nullos hominum rogatus
Fallis at firmas peregrina corda
Cultor eterni domini deiq;
Magne ſacerdos
¶ Quo poteſt vllus modulo loquendi
Siue facundus Cicero rediret
Eloquens flumen tibi ſancte dignas
Fundere laudes

Jpſe mordaces animi reatus
Pellis et curas moderaris atras
Uis tibi viuax venerande neruos
Tendere tortos
Artuum morbos trepidante greſſu
Soluis et nodos pedibus remittis
Lumen orbatis oculis diemqʒ
Reſtituendo
Flectis et linguas rigidas negatum
Uocis hinc pandes iter et reflexos
Auribus clauſis penetrare mandas
Uerba ſonoſqʒ
Ferreum iuſſu reuocare fatum
Algidis membris animas reponi
Porrigit dextram deus ignibuſqʒ
Seruat alumnos
Jlle conceſſit tibi ferre numen
Mentibus captis pie liberator
Atra dum bilis recoquit furorem
Felle veneni
Seu ferox tetras agitans erinnis
Feruidum corpus furias adegit
Uirus eternum male cum refudit
Pectoris antro
Stant come torquent oculi micantes
Siue cum pluto peranhela vexat
Ora turbatum voluendo murmur
Tartara linquens
Uectibus fit iuſticium ſolutis
Nundinas fors eumenides pararunt

Stagna ſiccantur ſtigie paludis
Perfida motu
¶ Tu tamen ſeruas animas fideles
Turbinis magni valido periclo
Conſulis prompte furiata paſſim
Corda reſidant
¶ Quid tumens fluctu mare ventilatum
Nauitam cuius volitat carina
Obruit ſpume ſalibus caputq;
Mergit in vndis
¶ Ni tibi votum faciat patrono
Non ſatis tutus rate fit nec arte
Inde ventorum fugiunt caterue
Turbo recedit
¶ Quid quod inuiſum ſuperare damnum
Mercibus lapſis redeunte lucro
Impetras dum te miſer inſtitorq;
Pallidus orat
Matribus meſtis ſterili moneta
Stemma fecundas grauis eſt abortus
Quid quod optato vocat obſtetricem
Viſcera partu
¶ Quid quod impulſu nimis imbriumq;
Protegis vites pecus arua pratum
Grandinis caſu nece fulminiſq;
Flente colono
¶ Sancte iam ſalue nimium tremende
Vere confeſſor tibi nunc fatemur
Eſt ratum quicquid celebrande poſcis
Munere chriſti

❡ Nos tibi quorſum trahimur vouemus
Cunctꝫ nos quales capimus fauores
Te per aſtantem ſumus aduocatum
Rite clientes
❡ Paſtor et tutor validus coerces
Ne lupi noſtrum ſubeant ouile
Lacteum ſalua pecus alme coruos
Pelle columbis
❡ Phiſicus certus medico dolenti
Febribus corpus lacerum reſarcis
Coge iactatum varios ſed inter
Frigora et ęſtus
❡ Tuncꝫ lapſanti facis eſſe firmum
Pectus etati ingenium penetret
Stellicus quicquid tenebroſioris
Spiritus horret
❡ Colchicum ſi me cupis Argonautam
Molis in ſiccos ſcopulos relidi
Humidam ſupplex precor eſſe lanam
Velleris almi
❡ Inuide furum meditata turbe
Perdis auertens mediocritate
Aurea freto ſatis eſt ſupercꝫ
Viuere Iuſte
❡ Diuitem ſperno cumulare gazam
Grata paupertas viciata nuſquam
Ne queant vere maculare famam
Murmura vulgi
❡ Deſpicit mundi mea Clio ſceptrum
Deſpicit flexum Gerionis anguem

Deſpicit quicquid tacet impiorum
Crimina regum
¶ Lubricas horum fugiam ſagittas
Tu potes ſolus poſuiſſe metam
Qui peregrino baſis et parato es
Firma columna
¶ Plaude iam noſtre Ingenio camene
Pauperis riui, tenui fluente
Cauchie crudã, tamen vſqꝫ fidam
Suſcipe venam
¶ Plaude votiuas modulaſſe laudes
Fictili plectro phriſium bubulcum
Re domus parua medicas coactum
Scandere in artes
¶ Ne feras egre luteum ſuſurrum
Aurium ſacris tonuiſſe rimis
Eſto non terram liceat petiſſe
Lampada coeli
¶ Eſto nil poſſim potiore muſa
Eſto nil poſſim calamo forato
Tu tamen ſerua melius volentem
Speqꝫ fideqꝫ
¶ Qui ſoles nunqꝫ tacitus pedantem
Preteriuiſſe in patriam ſed vltro
Aduocas tutum reſerando portum
Nautica ſtella Amen

¶ Epitaphium illuſtriſſimi .D. dñi Magni ducis Magnopolenſis Vandalorum princi-pis Comitis Swerinenſis Roſtochij et Stargardie terrarum domini.

Magnopolenſis eram dux Magnus nomine. magnis
Ceſaribus gratus. principibuſq; viris
Pronus Apoſtolica pape bis cernor in aula
Auſtriacus fouit Cęſar vterq; meos
Perpetuam dedit ille roſam ſacra bractea regum
His mihi feudorum gratia bina fuit
Etherei patriam Solyme peregrinus adiui
Militiam domini ſancta per arua petens
Gaudebunt atavi titulis. tellure nepotes
Proxima cura ſubit relligionis honos
Auximus his fines. ſed ſtemmata iunximus illis
Noſtra reformatis ſtat pia turba choris
Roſtochiumq; ferox domui tibi Magne Jacobe
Sanguine cum proprio Canonicos ſtatuens
Quod pepuli Verpos. Chriſti bona ſacramenta
Stellarum montis ſecta cremanda ferit
Ha pietas: dum magna paro. maiora relinquo
Iniecere manus maxima fata mihi
Nam dum ſęua lues toto graſſatur in orbe
Lichnica cruſtoſis vlcera ſtigmatibus
Nulla meos potuit virtus ſuperare dolores
Quin perij. mortem nulla medela leuat
Induperatorum Regũq; Ducumq; poteſtas
Et cuncte ſtellis ſuppeditantur opes

Eheu magna cadunt paruum eſt quodcunqꝫ videmus
Jamqꝫ ducis Magni nomina ſola manent
Pectoribus loquor hec doctis: indocta rogabunt
Sit mea cum patribus Mens bene grata Deo.

¶ Th. Ulſenius. C.

¶ Hermannus Buſchius.

¶ Ulſenius Peoni dicatur in arte medendi
Ulſenius ſacro carmine Phoebus erit
Ulſenius lingua proles regeqꝫ ſoluta eſt
Ulſenus Coelum mente deumqꝫ capit
Ulſenius niueis animi quatit ęthera pennis
Ulſenius (phas ſit dice re) cuncta ſapit

¶ Ulſenius Medicus

Buſchius interpres Uatum vateſqꝫ diſertus
Buſchius agnouit carminis omne genus
Buſchius antiquis non cedit iure Poętis
Buſchius eſt priſcis nobilis ex atauis.
Bnſchius eſt raris volucer Cyllenius alis
Buſchius eſt phenix vnica Teutonibus

¶ Ex;eſt

ARMY MEDICAL LIBRARY
WASHINGTON, D.C., U.S.A.

Med. Hist.
INCUN
472

★ ★ ARMY ★ ★
MEDICAL LIBRARY
Cleveland Branch